Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.

Wien, 1794 Seite 1643

Quelle:
Copyright:

XXI. *fol.* 258. *Sequitur ſermo Magiſtri Stanislai de Znoyma ſacre Theologie profeſſoris contra quinque articulos Wyckleff condempnatos.* Sunt hi *Articuli* e XLV. numero 15. *Nullus eſt Dominus civilis* &c. 16. *Domini temporales poſſunt ad arbitrium* &c. 18. *Decimæ ſunt meræ Eleemoſynæ* &c. 33. *Sylveſter Papa et Conſtantinus* &c. et 32. *Ditare Clerum eſt contra regulam Chriſti.* Initium Sermonis a prolixa invocatione Virg. Mariae: *Ave Maria virgo cunctas hereſes ſola interemiſti* &c. Ad calcem: *Iſti duo ſermones ſunt predicati ad clerum per duos doctores contra VII. Articulos Jo. wy. condempnatos quos Jo. Huſs in ſcolis publice defendit et dogmatizauit.* Et Scriptoris παρεργον: *Eya ecce Ihesu explicit totum, Infunde da michi potum, Iſtum potum puto de quo canimus Infunde vnccionem tuam deus clemens noſtris ſenſibus.* Adparet ex toto hoc *Codice*, quantum pro Suggeſtu tam ſacro, quam ſcholaſtico ventilatae ſint in utramque partem adlatae ex Anglia Sententiae. Varia, quae continet, cognoſcendae penitius toti Controverſiae opportuna lucem nondum videre, quamvis non ſpernendas ad Hiſtoriam ſive eccleſiaſticam, ſive literariam acceſſiones praeſtitura.

CCCCXXII.

522 Codex chartaceus lat. boh. Sec. XV. Folior. 275. 4. a diverſis congeſtus ad Turbas *Huſſiticas* in *Bohemia* pertinet. Occurrit in eo: I. *Propoſicio facta in Curia Romana coram papa* (Joh. XXIII.) *contra Wikleſiſtas Anno domini M° CCCCXIII°. Menſe decembri.* Initium: *Beatiſſime pater patrum Iuſtiſſime ac clementiſſime princeps. Cum quilibet Ortodoxus firmiſſime tenere debeat et nullatenus dubitare, omnem hereticum uel ſciſmaticum cum dyabolo et angelis eius eterni ignis incendio participandum* &c. Memorantur deinceps introducti in Regnum *Bohemiae* et Eccleſiam *Pragenſem* per lectionem librorum *Wicleffi* errores, eorumque praecipui adſeclae nominantur *Joh. Hus*, *Joh. Jeſſenicz*, *Sdislaus de Wartenberg*, *Jac. de Miza*, *Procop. de Plzna* et *Marcus de Grecz Regine. Sbinconem* Archiep. autoritate *Alexandri* V. in praedictos Libros inquiſiviſſe, eosque exuſſiſſe; *Huſſum* cum ſuis contra Archiepiſcopum ad Sedem Apoſtolicam adpellaſſe, et ut immorigerum a Card. *Oddone Columpna* ſubjectum excommunicationi, *in qua per annum cum dimidio inſorduit, prout etiam inſordeſcit* &c. Itaque petitur, ut Homines hi autoritate Sedis Apoſtolicae Haeretici declarentur, poteſtati Seculari beneficiis privati tradantur, loca, ad quae declinaverint, interdicto ſubjiciantur &c. Pontifices in hac cauſſa ſaepius interpellatos fuiſſe, referunt quidem Hiſtorici; a quo vero profecta ſit praeſens interpellatio, an a Capitulo Metropolit. an a Parte Academiae, aliisve,